

~~PH.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-27
SIGNAT. CLVCCCCXIII.

St. Michael. alced

A V S P I C E C H R I S T O

Theses

DE ECCLESIA TRI-
VMPHANTE

Quas

CONTRA PONTIFICIOS,

Ad disputationem XXVI. in Collegio Studiosorum
Theologiae privato die 24. Aprilis institu-
endam discutiendas proponit

M. ENGELBERTVS ENGELS,
Respondente,

IOH ANNE HERMANNO OETTINGENSI
RHETO



VV I T T E R B E R G A E,

Literis VV olfgangi Meisneri.

ANNO cl. l. IVC.



PRVDENTISSIMIS, HV-
manissimis, pietate, rerum usu, alijsq;
virtutibus prestantissimis viris,

D. D. D.

EGIDIO de GREVE
PETRO RAES
JOHANNI BODIO

Belgis

Hamburgi commorantibus,

Dominis ac fautoribus suis
optimis

Hoc quaecunq; Thesum Theo-
logicarum $\sigma\chi\acute{\epsilon}\delta\iota\alpha\sigma\mu\alpha$ obser-
uantia ergo nuncupat

Engelbertus Engels

POSITIO PRIMA



Antum refert nosse quo honore, quoque cultu sancti Dei, siue angeli, siue homines prosequendi, quantum ipsummet Deum pure, bene & ex diuini verbi prescripto colere, eique legitime seruire, hoc est, maxime omnium.

2. Nam, pro dolor, experientia longe lateque restatur, quam intolerabilis, & plus quam Ethnica idolatria, adhuc dum magna ex parte durans,

ex ignorantia veri Diuorum cultus promanarit.

3. Siquidem inde factum ut homines prauo sanctos honorandi zelo, idque diaboli, qui etiam optimis optimorum exemplis ad idolatriam & superstitionem stabilendam utitur, instinctu abrepti tota via a vera sanctorum veneratione aberrarint & Diuis, non sine execranda idolomania, cultum exhibuerint soli Deo debitum.

4. Operæ precium igitur est codicem sacrum consulere, indeque eruere ea, quæ nos de Ecclesia triumphante erudiant, & sic quoque de ἀνικητοῦ informet: quo non solum ipsis gratos exhibeamus cultus, sed multo magis, ne Deum suo priuemus honore.

5. Maxime, cum aliquot posterioribus disputationibus monstratum sit, quid & qualis Ecclesia militans, quæ eius notæ, quæ membra, cum vera tum falsa: quæue eius in hisce terris sub crucis vexillo conditio.

6. Atque ut ab ipsa definitione exordiamur: Triumphantem Ecclesiam esse dicimus, cœtum beatorum, qui statim postquam exantlatis duris terrenæ huius vitæ doloribus atque ærumnis, nec non a Satana structis insidijs angelorum presidio feliciter declinatis vera in Christum vnicum mediatorem nostrum fide obdormiuerunt, æterna beatitudine, quæ in visione Dei sita, fruentes, Deumque sine intermissione celebrantes, de superatis mûdo & diabolo triumphant.

7. Quod autem piorum hominum spiritus, quam primum corporibus soluuntur, sine omni mora in conspectum Dei admittantur, disertè Apostolus affirmat, inquit: Si terrenum nostrum domicilium huius tabernaculi destructum fuerit, ædificationem ex Deo ^{2. Corint. 5. 1.} ἔχομεν, habemus & c.

8. Audiuit quoque D. Iohannes in sua Apocalypsi vocẽ de cœlo dicentem,

Apoc. 14. 13. centem; quod qui in Domino moriuntur beati sint à modo, ἀπὸ τῆς

Luc. 16. 22. 9. Idem declarant exempla. Nam Lazarus quàm primum mortuus, in sinum Abrahamæ ab angelis deportatus est; Et Christus Latroni iurat iam iam ipsum secum in Paradiso futurum.

Luc. 23. 43. 10. Vnde certum est nugas esse, quod Pontificij de purgatorio garriunt: & nil nisi anile figmentum, quod de Arabibus Augustinus refert, in psychotecis quibusdam piorum hominum Spiritus usque ad resurrectionem contineri.

Lib. de hæres. sibi ad Quod vult deum cap. 83. 11. Bellarminus posterioris huius erroris D. Lutherum insinuat, sed per meram calumniandi libidinem. Contrarium .n. reperitur in Com. Luth. super 25. cap. Genesios, quod si bonus fuisset Iesuita, & candidus, scriptum Lutheri à Staphilo allegatum euoluisset, & huic potius, quam Apostatae fidem habuisset: ὅτι οὐκ ἐβουλόμην ἰαμεῖν αὐτὸν διὰ τὸν φόβον τοῦ κυρίου.

Lib. I. de beat. Sancti, c. 1, 12. Quid verò calumniabundus assuit D. Luthero id, cuius ipse cum suis assertor est, & propugnator? Nonne enim, quæso Pontificij plus quam iniurij sunt in sanctissimos V. T. homines, patriarchas & Prophetas, quibus cum de facie ad faciem locutus est misericors Deus; qui in vijs suis profecti fuerunt, atq; adeo viri iuxta cor Dei: digni ad quorum preces sol contra naturæ cursum tardius moueretur; intraque tres annos & 6. menses non plueret, & c. dum illos toto isto tempore, quod ex optatissimum & saluificum saluatoris nostri aduentum præcessit, extra Dei visionem, extra coelum, extra sedem beatorum, adeoque extra omnem omnino beatitudinem abegerunt, & in locum quendam tenebrosissimum (limbum patrum vocant) immisericorditer detruserunt.

Matth. 22. 30. 13. Idque contra, quàm Saluator innuit, dum pios in T. V. mortuos angelis Dei, qui in cælo sunt, comparat, & quod scriptura de Henocho, Elia, & Lazaro pronunciat.

Gen. 5. 24. 14. Abraham quoque diem Messiaë videre gestiuit, & vidit eum, & est gaudius. Ioh. 8. 56.

Reg. 2. 11. 15. Quid verò & reliqui sanctissimi & diuinissimi viri ante & post Abraham? nonne per fidem Deo placuerunt ciuitatemq; cælestem quasiuerunt, & iustitiæ Dei facti sunt participes.

Luc. 16. 22. 16. Epiphanius refert Har. 66. Manichæos olim affirmare non dubitasse antiquitus neminem ante XV annum Tiberij fuisse seruatum. Sed hæc eorum blasphemia ab orthodoxis damnata est.

Heb. 11. 17. Ante resurrectionem autem nequaquam vel ociosa sunt pietum

rum anima, vel perpetuo somno dedita: neq; quod pontificij af-
ferunt res humanas administrant, pro viuis & mortuis intercedunt,
particulariaue hominum facta vilo modo curant. Hæc enim
scripturis contraria sunt, & cum reuelato Dei verbo pugnant.

18. Sed æterna fruuntur beatitudine, hoc est, Deum vident, Deum
agnoscunt, Deum celebrant.

19. Inquit enim Iohannes: nunc sumus filij Dei, & nondum ap- 1. Epist. 3, v. 2.
paruit id quod futuri sumus, scimus autem quod cum apparuerit,
similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicut est.

20. Et Euangelista: Hæc autem est vita æterna, vt cognoscant te
solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Ioh. 17. 3.

21. Cognoscimus quidem & in hac vita Deum, sed tantum ex par- 1. Cor. 13, 12.
te: quem admodum & per speculum solummodo in ænigmate con-
templamur: in cœlesti verò de facie ad faciem ipsum cernemus.

22. Quod autem cum angelis coram Throno Dei in templo ipsius
seruiant, luculentissimi testes sunt sanctus Propheta Esaias cap. 6.
v. 3. Et Ioh. in Apocal. cap. 4. v. 8. & cap. 5. 8. & alij.

23. Hinc verò incredibili, & quod verbis exprimi nequeat, atq; æter-
num durature gaudio perfunduntur Esa. 65. 17. 1. Cor. 2. 9. Ps. 126. 5.

24. Quod ad cœlestis in hoc mundo castigationes, calamitates,
iniurias experientibus innotescit, vt non modo eius in dubia spe &
meditatione dulcissima semetipsos cōsolentur atq; erigant, vt Iob.
cap. 19. v. 25. alijq; omnes veri martyres sed & ardenti admodum
desiderio dissolui cupiant & esse cum Christo Phil. 1. v. 23.

25. Quoniam verò scriptura affirmat Psal. 112. 6. Prouerb. 10. 7.
Luc. 1. 48. Marc. 14. 9. et alibi: nec non optima consuetudo, qua
Ecclesia T. V. memoriam Patriarcharum aliorumque sanctorum
recoluit, ac laudes publicè decantauit; Et noui T. qua Apostolo-
rum & martyrum, ostendit sanctos esse honorandos, absit vt nos
sanctorum honori vel tantillum detrahamus: quin imò ita illos &
honoremus, & colamus vt eadem scriptura nobis proponit.

26. In ea verò tres præcipuè reperiuntur modi, quemadmodum
id ex Apologia Confessionis Augustanæ refert D. Chemnitius in
suo examine. Primus vt in sanctis consideremus & grata mente
agnoscamus præsentia: gratia, bonitatis, sapientia, & potentia di-
uinæ exempla.

27. Secundus, vt dona Dei in Sanctos collata magnificemus, celebremus, ipsosq; sanctos, qui illis donis fideliter vsi, laudemus.

28. Tertius, vt virtutes sanctorum, fidem, spem, charitatem, patientiam & alias imitemur. Atq; hic quidem cultus sanctis quam sit gratus Paulus ipse fatetur Phil. 2. v. 15. 16. 1. Thes. 2. v. 19. 20.

29. Ex inde ergo, a motis calumnijs, & ijs quæ extra controuersiam sunt, cum non solum post Christi aduentum, atq; resurrectionem cum pontificijs sanctos beatos esse, & studiosissimè colendos, sed & ante, contra eosdem, ex scripturis demonstramus, credamus, queritur primò: vnde sancti nobis innotescant? vel, quod idem, quis, quidue sanctos canonizet? Deinde, An cultu adorationis siue inuocationis prosequendi?

30. Sanctos autem vocamus, vt terminos *ἁγίων* explicemus, omnes homines, qui vel mortali corporis domicilio exuti cum Christo & sanctis Dei angelis viuunt: vel eo adhuc induti, & Spiritus sancti per baptismum & veram fidem templa facti sub crucis vexillo iam dum militant.

31. Aduersarij quidem in hac vita vllum piorum nominari posse sanctum negant: verum id cum extra scripturam, illos nihil moramur.

32. Apostolus certè in inscriptionibus Epistolarum ad Romanos, Corinthios, Ephesios, Philip. Colossenses, sanctos vocauit eo tempore viuentes fideles. Et in Epistola ad Philemonem inquit: gratias ago Deo meo audiens charitatem tuam & fidem, quam habes erga Dominum Iesum, & erga omnes sanctos. Vbi per sanctos intelligit non vt pontificij volunt, mortuos, sed quod vel cæco obuium, pios adhuc viuentes. qui enim charitas erga mortuos exercetur.

lib. 1. de beat. sanct. cap. 7. 33. Vocabulum Canonizationis ad solos defunctos restringit Belarminus, sed perperam. Cum enim sanctorum Canonizatio aliud nihil sit, quam character, quo, qui pro verè sanctis habendi, agnoscuntur; & sententia siue iudicium, quo illis debiti honores decernuntur, & modò dictum inter viuentes etiam esse sanctos, utiq; magis ad hos, quam ad illos pertinet.

34. Eo inquam magis, quò præ mortuis honore, cultu, commiseratione, alijsq; pietatis officijs indigent: vt quos mundus odio prosequitur, fortunis omnibus euertit, vagos & exteros exulare cogit.

35. Vnde

35. Vnde D. Paulus inter alia officia quæ Christianis præscribit, maximè requirit vt sanctorum necessitati communicemus & erga eos hospitalitatem exerceamus.
36. Quàm autem referat hoc modo sanctis inseruire, & quam magni hunc cultum Saluator æstimet, luculentissimè descriptum est Matth. 24. v. 34 & sequentibus.
37. Mortui verò cum de mundo triumphum agant, cum pro bonis huius vitæ caducis & temporalibus æterna possideant, cum nullius rei indigeant, & denique ex hoc mundo, in quo peregrini fuerunt, in cœlestem longè desideratissimam patriam appulerint, opus nequaquam habent, vt ipsorum inopiæ succurratur.
38. Reliqui etiam cultus de quibus supradictum, non minus viventibus, quàm mortuis exhiberi possunt & debent.
39. Nunc quid inuocatio, videndum. Est autem oratio, qua vel ore pronuntiata, vel tacitè ex seruo cordis affectu effusa, firma fide, certaq; fiducia in eum, quem inuocamus, quod velit & possit, id quod petimus præstare, postulamus, vt pro nobis intercessio fiat, nostrum misereatur, peccata nobis deleantur, & bona cum præsentis t̃m vel maximè futuræ vitæ tribuantur.
40. Hanc descriptionem non negat Bellarminus, tantum hunc cultum, quando Deo tribuitur, λατρείας vocat; δαλείας verò quando sanctis.
41. Sed κρησφύγιον in nudis nominibus quærere, nimis stolidum. Nam quo ad rem ipsam quemadmodum vtriusque inuocationis sunt causæ eadem, ita inuocatio siue ad Deum dirigatur, siue ad sanctos, nullo modo diuersa erit, sed & ipsa eadem plane.
42. Primum enim eadem & mente & fiducia (quærum illa inuocationis causa efficiens, hæc formalis,) qua sanctos inuocant pontificij, eadem quoque, si quando, Deum.
43. Cum item bona tam spiritalia quàm corporalia, tam ad animæ, quàm corporis salutem pertinentia, quæ secundum scripturam à solo Deo petuntur, à sanctis flagitent, quis non videt eandem prorsus vtriusque inuocationis & materiam esse, & finem.
44. Quanquam autem δαλείαν & λατρείαν promiscuè usurpentur: hoc enim interdum seruitium sonat, quod hominibus debetur ac soluitur, vt Leuit. 22. & 23. ἔργον λατρευτῶν: & illud econtra cultum quo Deum prosequimur, vt Matth. 6. Act. 20. Rom. 7. & 16.
- et

& 1. Thes. 1. Iesuita tamen secundum traditionem Ecclesiae Romanae, quae idololatricos & crassissimos errores suos σοφοίς, imo hīc quidem nimirū σοφοίς φαρμακοίς pingere & palliare pergit, egregie se distinxisse opinatur cultū quem Deo, ab eo, quē sanctis exhibet.

DE CANONIZATIONE.

45. Hisce ita declaratis, nūc porro de Canonizatione, quae ad id, ut sancti, quō honorentur nobis innotescant.

46. Propriissimē quidem Canonizare significat rem quampiam ex minus apta aptam, ex in congrua congruentem, ex curua rectam facere, secundum canonem & regulam adaptare, superfluum quicquid refecare, & sic Canonizare homines, de sanctitate si accipitur, est ex non sanctis sanctos facere, vel sanctificare.

47. Et hoc in vniuersum vni & soli Deo patri, filio, & Spiritui sancto acceptum ferimus.

48. Pontificii non item. Causam quidem προκαταρκτικήν, διέθεσιν, videlicet benē operandi per infusas qualitates, Deo tribuunt, sed sanctificationis τελείωσιν, & ab ipsis hominibus peragi impiē asseruerant. Sed haec aliō.

49. Hīc enim non quaeritur quomodo aliquis sanctus fiat, sed aliquem iam sanctificatum esse, quomodo nobis innotescat: & sic secundō canonizare minus propriē significat secundum Canonem examinare: & hoc loco, secundum Canonem de sanctitate alicuius hominis iudicium facere.

50. Aduersarij cōtendunt Canonizationem non fieri nisi à Papa, & neminem pro sancto habendū, qui non ab eodem solenniter, & consuetis adhibitis Ceremonijs in publico Ecclesiae conuentu Diuorum catalogo fit insertus.

51. Nos verō affirmamus Christum esse eum qui canonizet modo & characteribus in scriptura expressis: Idq; probamus, & primō, quod sola scriptura sit Canon sanctorum.

Locus Primus.

Psal. 19. v. 5.

52. In omnem terram exiit sonus eorum, & in fines orbis terrarum regula eorum. καὶ ἑβραϊσὶς idem est quod Graecis κανὼν vel γνώμων, regula siue norma Latinis: id nimirum, quod aedificijs, materiae, alijsue rebus vel aptandis vel explorandis adhibetur.

Polit. 2. c. 8.

53. Quemadmodum autem ab Aristotele lex vocatur κανὼν, quia secundum eam ciues conuenienter & recte viuunt: sic etiam hīc doctrina

Scriptura Apostolorum sacro volumine comprehensa : quia Christiani vitam suam ad scripturae regulam instituere debent.

54. In hoc autem testimonio per regulam intelligi sacrum scripturam Apostolus Rom. 10. v. 18. disertè affirmat.

55. Vt ijs quoq; regionib. quæ ultra vos sunt Euangelizem, non per 2. Cor. 10. 18. alienam regulam & c. Item, In Christo Iesu neq; circūcisio quicquam Gal. 6. 16. valet, neq; præputium, sed noua creatura, vt quicunq; iuxta canonem istum incedunt, pax super illos, & misericordia.

56. Ex citatis scripturae dictis verum canonem eruimus hoc modo: si est aliquis canon secundum quem sancti sunt canonizandi, sola sacra scriptura est. Sed esse aliquem vtrobique in confesso est. Est ergo sola sacra scriptura iste canon.

57. Antecedens & eius consequentia probatur, quia scriptura vocatur Canon; si canon, vtique hominum: horum enim causa, quicquid in illa reuelatum. Si hominum canon, sola scriptura canon: vnius enim rei plures vno canones esse non possunt.

Locus Secundus.

58. Ecclesie Dei quæ est Corinthi, sanctificatis per Christum Ie. 1. Cor. 1. 20. sum, vocatis sanctis & c. Item, Deus vocauit nos vocatione sancta, 2. Tim. 1. 9. non secundum opera nostra.

59. Christus dilexit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro ea, vt Eph. 5. v. 25. ipsam sanctificaret, emundans lauacro aquæ in verbo. Et: Hac erat 1. Cor. 6. 11. is quidem; sed abluti estis, sed sanctificati estis, & c.

60. Omnes n. filij Dei estis, eo quod credidistis Christo Iesu, & Gal. 3. 26. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis vt liceret filios Dei fieri, videl. his qui credidisset in nomine ipsius. Item; quia scimus non Gal. 2. 16. iustificari hominem ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi & nos in Christum Iesum credidimus vt iustificaremur ex fide Christi.

61. Ex his testimonijs præcipuæ notæ, quibus sancti dignoscuntur, eliciuntur, vt quod sint vocati, regenerati, quodque meritum Christi vera fide sibi applicent.

62. Sed cum hæ inuisibiles sint, deq; ijs quam difficilimè iudicare possimus, alius quidam character hinc inde in scriptura exprimitur, præsertim verò ab Apostolo Eph. 4. à versu 20. ad finem vsq; capitis describitur: bona opera videlicet, à quibus tanquam effectibus de causis iudicare sit obuium. Ratiocinamur ergo ita.

63. Secundum id quod veram nobis & minime fucatam sanctitatem

B

tatem

tatem describit, sancti sunt canonizandi. Sacra scriptura sola describit qui sint verè sancti. Ergo secundum solam sacram scripturam Canonizandi sint. Hæc duo pro canone, pro canonizante, totidem sufficient.

Locus III.

1. Tim. 2. 19.

Iohan. 10. 3.
v. 27.

64. Solidum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc: Ἐγὼ οὐκ οἶδα τινὰ ὄντα ἐν τῷ κόσμῳ, nouit Dominus qui sint sui. Et Christus inquit: Pastor proprias oves vocat κατ' ὄνομα, nominatim. Et postea: oves mea vocem meam audiunt, & ego cognosco eas. argumentum quod ex his elicitur, tale est.

65. Solus qui cognoscit sanctos & verè fideles, eosdem Canonizare potest, Christus solus cognoscit verè fideles E.

66. Maior nulla eget declaratione. Cum enim Canonizatio per testificationem à Bellarmino definiatur, hæc vero sine notitia eius quod testatur, nequaquam esse possit, utiq; illam præsupponit.

67. Quod autem Christus solus sanctos cognoscat, id quod erat assumptum, in locis allegatis verborum ἐμφασις indicat: & ἀντιθεσις apud Iohannem (cap. 10. v. 5. alienum autem non sequuntur & c.) innuit; & denique loco sequenti idem demonstratur.

Locus IV.

Ioh. 21.
3. Reg. 3.

68. Domine tu nosti omnia, tu scis quod amem te. Item: Tu nosti solis corda filiorum hominum. Marc. 2. Christus videt cogitationes Phariseorum. Ioan. 2. tu nouisti omnia, nec opus habes & c.

69. Argumentum: solus qui cor hominis scrutatur, potest de sanctitate hominis verè & infallibiliter testari: solus Deus cor hominis scrutatur. Ergo.

70. Minorem loca scripturæ clarissimè probant; ratio maioris est, quia sanctitas quæ Deus requirit nequaquam externa, sed interna in mentis puritate sita. Vnde & sanctorum in hisce terris Ecclesia inuincibilis vocatur.

71. Cum autem ipsa mens vel cor hominis vni & soli Deo τὸ πρῶτον τοῦ θεοῦ ἡ καρδιά καὶ τὸ πνεῦμα ἀνθρώπου ἐξευδύνηται fit perscrutabile, utiq; nulli hominum de alterius sanctitate constare potest.

72. Quanquam autem charitas Christiana de fratribus benè sperare iubet, & iudicium qualecunq; de interna aliorum qualitate ex operibus, tanquam fidei fructibus, fieri possit, illud tamen admodum imbecille est & languidum.

73. Exter-

73. Externa enim opera quàm egregiè fallere possint illustrissima hypocritarum omni tempore exempla euincunt.

74. Quot enim bone Deus incredibilem quandam sanctimoniam, castitatem &c. præ se ferūt, & tamen nihil minus quàm casti, quàm sancti &c. sunt.

ἀνασκησις.

75. Hæc satis aperta sunt, & opus nequaquam vt plura congerantur; & profectò ijs ipsis quibus confirmata sententia vera, iisdem & fallam opinionem refutare in promptu.

76. Primò enim quia sine canone nulla potest fieri canonizatio, & pontifex cononem, ipsam videl. scripturam, non admouet, manifestum est ipsum canonizare nullo modo posse.

77. Quod item modum canonizandi in scriptura à Christo propositum non adhibeat in confesso est: Siquidem non veram fidem eiusq; fructus respicit, sed in externos tantum cultus, & obedientiam pro viribus sibi, non Christo præstitam, inquirit.

78. Et deniq; quia solus Christus suos nouit, & is ipse solus cordium scrutator est, quomodo quæso Papa nouisse potest, qui vel Christi sint, vel vera fide imbuti?

79. Cùm Bellarmino omnino existimo canonizationem pertinere ad summum Pontificem, vt qui in eadem non possit errare. Sed alium Pötificem summum non agnosco, quàm solum Christum, qui vnica oblatione perfectos effecit in perpetuū eos qui sanctificatur.

cap. 8 & 9. n.º
1. de beat. san-
ctor.
Heb. 10. 14.

80. Quod ad Papam Romanū, is certissimè, vt in omnib. alijs rebus, sic & hic errare potest; & nuper demonstratum, illum esse antichristum. Quid verò præterea requirit Bellarminus?

ἀνασκησις ἰδωλατρικῆς ἁγίων ἐπισημίας.

81. Cùm hæc hactenus euictum sit qui sint verè sancti, eosuè quis canonizet, nec non veri cultus ipsis exhibendi huc vsque astructi, vt falsus à Pontificijs arreptus fortissimo sacrarum literarum ariete destruat, porrò sequitur.

82. Ac primum quidem ex omnib. istis locis in quibus sacræ scripturæ perfectio *ὡς ἀπὸ σκοπιᾶς* cuius obuia: cuiusmodi sunt Deut. 4. 2. et 12. v. ultimo. Apoc. 22. 18. Gal. 1. 8. Ioh. 20. v. ultimo. 2. Tim. 3. v. 16. 17. Psal. 19. 8. Luc. 1. v. 3. 4. & 16. v. 29. & 24. v. 27. Et similibus ita argumentamur.

83. Quodcunq; dogma in sacra scriptura neq; explicitè neq; implicitè continetur, id à nullo Christiano est arripiendum. Dogma Pontificiorum

tificiorum de ἁγίων ἁλεία, inuocatione vel adoratione sanctorum in scriptura neque explicitè neque implicitè continetur vel fundatur. Ergo utpote merum figmentum humanum & θελοδουκία Deo ingrata à nullo pio acceptari, quin imò exterminari, diris deuoueri debet.

84. Loca verò quibus Bellarminus nostri assumti contrarium euincere defudat ad rem nihil faciunt.

85. Nam angelus quem Patriarcha Iacob Gen. 48. 16. inuocauit, fuit ipse Deus, ut habetur Gen. 32. v. 27. 30. & 31.

86. Quemadmodum enim ab apparitione v. 24. & Gen. 18. 1. viri appellationem fortitus est, sic & alibi, & hoc loco, angeli. præcedit enim vocabulum Elohim: Deus qui pascit me ab adolescentia.

87. Iob 5. v. 1. vulgata editio vitiosa est, neq; enim Eliphaz suadet ut Iob ad aliquem sanctorum demortuorū cum fiducia se cōuertat, aut eius auxilium imploret, sed ironicè loquitur, id quod vel alphabetarius linguæ Hebrææ animaduertit. Quæso, inquit, voca, fortassis aliquis futurus est qui tibi respondeat. & è vestigio subiungit huius quasi correctionem: Verum quis de sanctis? quasi dicat: clama modo, clama: sed quid? si vel ad raucedinem clamaueris, & vocando te defatigaueris nemo tamen de sanctis à tua parte futurus est, qui, quæ huc vsque à te dicta, vllō modo probare possit.

88. Tantum igitur abest ut hoc testimonium impiæ in Deum opinioni patrocinetur, ut eo potius eueratur.

89. Et si autem quidam per sanctos hoc loco intelligant angelos, mihi tamen probatur expositio doctissimorum Hebræorum, qui homines pios, cum quibus Eliphaz amicum suum confert.

90. Textui enim conferme videtur quod voluerit dicere Eliphaz: neminem vnquam ex pijs fuisse, qui ita impatientiæ frenum laxarit, quique contra Deum in doloribus suis ita calcitrarit, ut Iob. Vel, qui in constantia & amore erga Deum, ut quidem de se Iob gloriabatur, per seuerarit, ita tamen punitum fuisse, ut is ipse.

91. Cap. 19. 21. manifestum est non angelos inuocare voluisse sanctissimum virum, sed reum h. e. amicos, socios, domesticos ad sui commiserationem commouere.

92. Capite 33. 23. in Hebræo est alaf, id est, super vel apud eum, vel pro eo. sc. homine, id est, in usum vel commodum hominis; & proloquens est melitz, id est, interpretans, declarans, explicans, referens.

93. Angelo.

93. Angelorum autem nomine appellantur sapius in scriptura
Doctores vel verbi ministri, vt Esa. 33. 7. Malach. 2. 7. & 3. 1. Matth.
11. 10. Marc. 1. 2. & c.

94. Hinc ergo nihil potest colligi aliud quam homini satis humili-
liato & castigato, ex immensa misericordia à Deo angelum inter-
pretem mitti, id est, doctorem qui ipsi indicet, annunciet, exponat
rectitudinem eius, id est, respicientiam, quod scilicet ad se & ad
Deum reuersus culpam suam agnoscat, & promissiones de remissi-
one peccatorum propter Christum per fidem complectatur. Sed
quid hoc ad inuocationem sanctorum stabiliendam?

95. Aut quid eodem si vel maximè in dictis locis & cap. 15. v. 15. &
cap. 4. v. 18. per sanctos angeli intelligerentur? Ergone, quia angeli
non inuocandi, sancti sunt inuocandi? aut quia angeli, Ergone &
sancti? polita mehercule politiane consequentia.

Apoc. 19. 10.
& 22. v. 3. 190

96. Exod. 32. 13. Moses petit vt Dominus recordari velit Abra-
ham & c. non equidem propter eorum patrocinium vel meritum
quo placetur; sed quod subiungit, propter fœdus cum patriarchis
illis initum, & promissionem multiplicandi seminis terræque Ca-
naan possidendæ.

97. Huius vero phrasidis eadem prorsus est ratio in lingua sancta,
quæ & in idiomate vernaculo, cum dicimus: *Steyer gedencet meiner*
id est, præsta mihi quæso promissam beneuolentiam.

98. Quod autem regerit Bellarminus, pactum Dei & iustitiam
sanctorum simul commemorari, vt Psal. 132. v. 1. & 10. 2. Reg. 15.
v. 4. & c. atque inde mortuos vitiorum suffragijs iuari elicit, nã
admodum ieiunum est, & docto indignum.

99. Nam v. 11. Psal. 132 non aliquod Dauidis meritum recensetur,
sed nudum solummodo de filio in regno eius successore iuramen-
tum, quod seruari autor Psalmi petit.

100. Vocabulum ynnoth quod est vers. primo allegati psalmi non
significat mansuetudinem vel virtutem aliquam in Dauide cuius
intuitu Deus sedem numinis sui in tziõn vrbe regia figat, & regnũ
posteris ipsius confirmet; sed anxias curas ex nimio templi con-
struendi, & cultum Dei rectè componendi desiderio ortas, quas
vt & aduersa quæuis alia, fide in Deum, animo forti pertulit.



101. Paralip. 2. c. 6. v. ult. est chhasad'm, sed hoc clemētiam significat bonitatem, vel veram pietatem: aut quod malim, passiuē sumitur pro beneficijs quibus a Deo Dauid fuerat ornatus. Ergo neq; hinc Pontificij vllum habere poterunt præsidium.

102. Ad hæc male facit Bellarminus quod copulam textui interijcit: hæc enim neq; in editione vulgata, neque in fontibus.

103. Id quod postremo loco, ex eo quod pro viuentibus viui orarūt, se probasse gloriatur mortuos esse inuocandos, ita firmiter vt à nostris nullo modo possit solui, tam puerile est, vt nihil supra.

104. Multis enim modis, & quidem foedè hoc eius argumentū peccat. Nam viuentes preces suas coniungere debere & pro se inuicem orare in scriptura est Rom. 15. Eph. 6. 1. Thes. 5. 2. Thes. 3. Colofs. 4. Heb. 14. & c. Idem facere mortuos vlllo neq; præcepto à Deo sanctum est. neq; exemplo ex scriptura monstrari potest.

105. Deinde alia ratio est, imò longe diuersissima viuorum quàm mortuorum: illis innotuisse possunt fratrum calamitates & c. his verò non item.

106. Deniq; quàm bella quæso Bellarmine consecutio: Viui pro viuis orant. Ergo mortui sunt inuocandi. Ergone qui viuit mortuus est? aut quia viuentes pro viuentibus orant eosdem etiam adorant, lerigioseuē inuocant. Et hæc ad obiecta Bellarmini.

Locus II.

107. Neq; solum in scriptura non reperitur impium hoc dogma, sed & eidem manifestè repugnat. id quod ex sequentibus patet. Nolite confidere in filijs hominum in quibus non est salus. Et Ierem. 17. Maledictus homo qui confidit in homine, Item Psal. 117. v. 8. 9. Bonum est confidere in domino quàm confidere in homine, bonum est sperare & c.

Psal. 146. & 113.

108. Hæc loca manifestissima sunt: & nemini non obuium, ijs mandari ne vlla omnino fiducia in hominibus collocetur, quia videlicet auxiliari nequeant, quod possit solus Deus.

109. Syllogismus: Si non licet confidere in viuis hominibus, multo minus licet in mortuis. At illud E. & hoc.

110. Ratio Conseq quia beatæ piæ mortuorū animæ non sunt integri homines, earum enim corpora in terræ puluere quiescunt ad extremum vsque iudicium & nouissimum diem.

111. Et quia non, vt viui, cognitum habere possunt viuentium statum, scirene quibus in rebus ipsorum nos egeamus auxilio.

4. Reg. 22. ver. vitimo.

112. Quod verò ignorare sint rerum mundanarū, & in hisce terris quid agatur, certum est ex relatione Prophetissæ Holdæ, quæ verbis Domini Iosæ regi denunciavit illum collectum iri ad patres suos, & ad sepulcrum suum in pace, ne oculi eius videant mala, quæ Dominus introducturus erat super Ierusalem, propter inuestam idololatriam & legis diuinæ contemptum.

113. Nec

113. Nec uon ex oratione populi Israelitici apud Esaiam dicentis : aspice e celo Esa. 63. 16. misericordissime Deus, quia tu pater noster es, (&) quia Abraham non nouit nos (amplius,) & Israel non agnoscet, (nos) *il xur sui ni ob...*
114. Vbi notanda proprietas uerbi Nachar quod rem prius cognitam in memoria reuocare significat in coniug. Niphal & hiphil, q. d. Etsi pater noster Iacob cum adhuc in uiuis esset maiores nostros benedixerit, & pro ipsorum incolumitate efficaces ad Deum preces fuderit, quia tamen nunc inter caelestes omnis curæ & anxietatis expers uiuit, & maiorū nostrorum nequid de nobis ipsis dicam⁹, amplius recordari potest, ad te æterne Deus solū clementissimum patrem nostrū &c.
115. Quod uerò Beilarminus dicit sanctos nostras preces, nobisq; quid deit inde scire, unde angeli conuersionem peccatorum, falsum est.
116. Nam angeli utpote à Deo constituti uigiles & excubitores circa nos sunt omnia uidentes, omnia audientes, mala ut impediunt, promoucant bona, quod exemplis & testimonijs scripturæ quam plurimis probari potest, de sanctis uerò tale quiddam nullibi reperitur.
117. Cum itaq; in sanctis non sit confidendum, neq; in eisdem erit credendum. Credere enim siue ipsa fides præsupponit fiduciam & firmissimum assensum.
118. Et si in sanctos non credendum, utiq; nec idem inuocandi. Quomodo enim Rom. 10. 14o inuocabunt in quem non crediderunt? Credere enim oportet accedentem ad Deum. H. 11. 6.

Locus III.

119. Inuoca me in die tribulationis & eruam te & glorificabis me. & Dominum Deum tuum adorabis, & illum solum coles. Item, ora pater in tuum qui est in oculto &c. Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis &c. Psal 50. 15o. Matth. 4. 10o. Matth. 6. 6o. Matth. 11. 28o.
120. Et si quæ sunt alia testimonia quæ ostendunt solum Deum patrem filium & Spiritum sanctum adorationis & inuocationis cultu religioso esse prosequendum, hanc conclusionem nobis subministrant.
121. Quem sacra scriptura nobis inuocandum proponit, hunc inuocare debemus non alium. Sacra scriptura solum Deum in unitate trinum nobis inuocandum proponit. E. non sunt inuocandi sancti.
122. Quid in alterutra præmissarum pontificij desiderent non uideo, nisi quod quidam Deum inuocare dicunt ut Deum, h. e. ut omnis boni fontem & auctorem, sanctos uerò ut intercessores.
123. At non minus, neq; alio modo ad gloriam sacerdotij Christi intercessionis quam mediationis officium pertinere scriptura Heb. 7. & 9. & alibi satis luculenter affirmat.
124. Si Iesuita hoc nostrum argumentum allatrat, ridiculus est & nugax. Neque enim nos ita : Filius (Matth. 6. v. Luc. 11.) iubet nos inuocare solum patrem qui in cælis est. Ergo inuocandi sunt nec angeli &c. quia non pater cælestis, nec (quod ipse infer.) Filius, nec Spiritus sanctus. *lib. 1o de beat. sanct. cap. 2o. insolutione argumenti*
125. Et si uel maxime : ad eone intrans, & rudis, aut etiam cæcus, ut neq; animaduertat, neq; uideat non determinari primam solummodo S. S. Trinitatis personam, quæ pater est, & dicitur ab æterna generatione unigeniti filij : sed patrem nostrum, quis uerò pater noster, num solus pater in sua hypostasi consideratus? nequaquam, quin imò & ipse filius & Spiritus sanctus, *quinti.*

Locus



LOCUS IV.

126. Act. 4. Non est in alio aliquo salus. Esa. 45. non est Deus saluans. præter me. Os. 13. Tantūmodo in me auxiliū tuum. Esth. 14. Domine adiuua me, quia præter te nullus est auxiliator alius.

127. Plurimæ autem huiusmodi sententiæ in scriptura reperiuntur, quibus auxiliandi potestas ad solum & vnum Deum defertur, ab omni verò homine aufertur, hunc ergo inuocationis finis nobis suggerit syllogismum.

128. Is solus inuocandus est, qui auxiliari potest, solus Deus potest auxiliari. E. solus Deus inuocandus.

129. Et contra. Nemo quia auxiliari non potest, inuocandus est. Sancti non possunt auxiliari. Ergo non sunt inuocandi.

130. Vterq; syllogismus veritatis modò testimonijs satis est euidentis.

LOCUS V.

Psal. 145.
Psal. 62.

2. Cor. 1.
Rom. 15.

131. Miserator & misericors Dominus &c. Semel locutus est Deus, duo hæc audiui, quia potestas Dei est, & tibi Domine misericordia.

Pater misericordiarū & Deus consolationis. Deus patientia & cōsolationis &c.

132. Pontificij quò suam idolomaniam quoquo modo occultent, dicunt sanctos tantum vt intercessores inuocari.

133. Sed his nobis nequaquam opus esse hoc syllogismo euincitur: Si Deus est omnium clementissimus, maximèq; & propitius & misericors ad exaudiendum & iuandum, nullo certè intercessore indigemus, sed exallegatis illud verissimum esse constat. E. & hoc.

Psal. 51.

1. Tim. 1.
Iohan. 16.
Iohan. 14.
I. Iohan. 2.

134. Bellarminus responder Deum erga sanctos propensiorē esse eosq; libentius quàm peccatores pœnitentiam agentes exaudire. Sed id falsissimum est, & sacris literis contrarium.

135. Deus enim cor contritum & humiliatum non despicit, sed gratissimum ei sacrificium est Spiritus contractus.

LOCUS VI.

136. Vnus mediator Dei & hominum, homo Christus Iesus &c. Quicquid patrem petieritis in nomine meo, id &c. Ego sum &c. nemo venit ad patrem nisi per me. Si quis peccauerit aduocatum habemus ad Deum.

137. Ab inutili sequens hypotheticus omnem sanctorum inuocationem frustraneam esse ostendit.

138. Si vnus tantum est mediator & aduocatus & intercessor, qui solus quicquid ad nostrā facit salutē ab omnipotente Deo impetrare possit & velit, plures nobis nihil proderūt. Sed illud ex scriptura cōstat E. & hoc inde elicitur. Et proinde superflua & superuacanea omnis inuocatio quæ ad sanctos dirigitur, ideo enim inuocantur, vt viuentium patrocinium suscipiant.

139. Possent multò plures hinc inde ex scriptura colligi sententiæ, quibus demonstretur meram esse idolatriam, quàm impiè defendunt Pontificij, sanctorum inuocationem. sed pauca hæc sufficiunt.

140. Bellarminus præterdicta scripturæ superius explicata, & rationes quasdam, ab autoritate patrum. nec non miraculis ad sanctorum sepulchra editis, petitas affert, sed indignas quibus pluribus respondeatur.

141. Cum extra scripturam nihil arripiendum, cum patres se inuicem, vt & concilia, refutent, & deniq; cum ipse Satan, quando Deo visum, per miracula quoq; sit efficax.

FINIS.



Theses de animarū statu post mortem.

Theses de Ecclesiā triumphante.

De sanctorū reliquijs et imaginibus eorū cultū, ceterisque eo spectantibus.

Them. Theol. de Sacramentis in gre.

De notitijs Dei et voluntatis ipsius humanis animis nā infitis et disciplinā ex cultis, D. Hofmanni. B.

Thesi. de iustificatiōe hominis peccatoris coram Deo D. RUNGII.

Prop. de iustificatiōe contra Flacianos Joh. Ferinarii.

Assert. Theol. de iustificatiōe hoīs coram Deo, Polyc. LYSERI.

Prop. repetentes summa dōe de iustitiā fidei ab opibz, M. Helsen, & M. Berzii

De Ecclesiā triumphante in caelis disputationes 2, quā una de sanctorū in vitā aeternā tractudine agit M. Volkmari, altera de sanctorū cultū agit, M. Cameri.

Disp. de Providentiā Dei Wolfii.

Disp. 1. de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. in quā explicant ps. 3.

1. qd fit qoz Magoz, Babil, Mesob. 2. qd p hoc vocab. Turca significant
3. qd Turca sint flagella quō Deo castigat Ecclesiam. D. Salom. GESNERI.

Disp. altera de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. tota in refutandō duobz cap. posita, qd GESNERI.

Disp. 2. de Turcā, in qua tractat 1. de tempore ultima irruptionis Turcā in Ecclesiam. 2. de populo et loco ubi ista evenient. 3. Cuias ob cās Turca Christianis immittat. 4. Cuias rāone sit repri-
mend. 5. Quo pacto et qbz armis tandem medicis ista gentibz sint delendi, qd GESNERI.

Prop. de Ecclesiā, HUNNII.

Thesi. de Predestinatiōe D. FREDERI.

Dōe de reali communiōne idiomatum in unā Personā Christi, M. Berndes.


Dōe de Baptismo capite papia D. RUNGII.


Thesi. de Sacramentis in gre GESNERI.


Them. Theol. de orali corporis Christi in cenā manducatiōe dictibz Eucharisticis D. GESNERI.

Them. Theol. de communiōne idiomatum reali tertii grū, D. GESNERI.

manu qui erant in
cuius manu...
in regno regni...
ad dicitur...
sicut omni erant
sicut...
ad...
nabuch...
et...
vobis...
et...
audient...
et...
huc et...
vne et...
sicut...
et...
nabuch...
quis...
sicut...
et...
sicut...





A V S P I C E C H R I S T O
Theses
DE ECCLESIA TRI-
V M P H A N T E
Quas
CONTRA PONTIFICIOS,
Ad disputationem XXVI. in Collegio Studioforum
Theologiae privato die 24. Aprilis institu-
endam discutiendas proponit
M. ENGELBERTVS ENGELS,
Respondente
IOH ANNE HERMANNO OETTINGENSI
RHETO

VV I T T E R B E R G A E,
Literis VV olfgangi Meisneri.
Anno cl. l. IVC.

